



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Juramenti provisi de Beneficio Formula II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

in fine, tenet negativam, & quod non possit, nisi scripto probari.

8. Quando autem hoc juramentum Fidelitatis alteri; quam Papæ præstandum sit, tunc formula erit varianda juxta domini, cui promittendum est, qualitatem, & continere debet illas sex conditiones, quæ enumerantur in cap. de forma 18. 22. q. 5.

Juramenti provisi de Beneficio.

FORMULA II.

SUMMARYM.

- 1 Beneficiati, & administratores locorum piorum debent conficere Inventarium.

2 Nominatus ad Beneficium jurispatronatus cum pacto, quod debeat succumbere expensis litis, an committat simoniam?

3 Presentatus ad Beneficium Ecclesiasticum, si quid minimum pro presentatione promittat, committit simoniam, etiamsi promissum erogari deberet in utilitatem Ecclesie.

4 Juramentum de residendo in Ecclesiis Parochialibus non deferitur.

5 Juramenta, quæ deferuntur Beneficiatis provisi de Beneficiis, promanant à jure communi.

**E**GO N. provivus de Ecclesia N. (si Ecclesia in titulum collocata fuit) seu (de Beneficio N.) juro me futurum fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Reverendissimo D.N. Episcopo, & cuicumque ejus legitimo successori, neque me de bonis Ecclesiæ prædictæ (seu Beneficii) vel de ejus fructibus, aut super eis pacta illicita cum ullo prorsus inivisse: Juro item de bonis ejusdem Ecclesiæ (vel Beneficii) tam mobilium, quam immobilium Inventarium, quamprimum potero, me facturum, & intra menses... Ordinario exhibiturum, possessiones, & bona ad ipsam Ecclesiam (seu Beneficium) pertinentes, & pertinentia non venditurum, donaturum, pignoratuum, aut aliàs quovis modo contra juris dispositionem alienaturum, immò alienata, & distracta pro posse recuperaturum, & Ecclesiæ (seu Beneficii) jura defensurum, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Si autem provivio secuta fuerit virtute præsentationis, Formula juramenti talis erit.

FORMULA III.

**E**GO N. nominatus, & præsentatus (vel electus) ad Ecclesiam (vel Beneficium N.) juro me Ecclesiæ (vel Beneficii) obtinendi gratia, ut ad illam, vel ad illud præsentarer, vel nominarer, vel eligerer, neque alium quemquam meo nomine me sciente, & consentiente, quicumque Patrono, seu Patronis, vel cuiquam alteri promississe, dedisse, donasse, compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse, aut mutuuum dedisse, aut quocumque titulo mihi debitum remisisse, neque de bonis, aut fructibus, & oblationibus præteritis, presentibus, & futuris, donationem, remissionem, locationem, promissionem fecisse, promississe, aut inivisse; juroque me futurum fidelem &c. (Et sequere ut in præcedenti Formula.)